



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. V. Vtrum statûs Gratiæ in operante sit conditio necessaria ad
merendu[m] de condigno vitam æternam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

vt negent mereri propriam rationem virtutis. Audiatur præ cæteris S. Augustinus lib. 4. contra Julian. c. 3. dum impugnatur Julianum, quod Gentilium virtutes laudaverit tanquam veras, sapius asserens, non esse veras virtutes nisi fiant ex fine supernaturali. Ideo, inquit, veras virtutes habemus, quia verum est, propter quod facimus, id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem, & veram felicitatem. Et paulò pòst. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Hoc autem probat ex Apostolo ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. & explicat illud ad Rom. 2. Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. hoc est, sine legis scriptæ notitia; & propterea, inquit, naturaliter, quia vt crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correctæ natura. Deinde subiungit. Quodsi veras virtutes faciunt, operantur ex fide, aut, si fidem Christi non habent, profectò nec iusti sunt, nec Deo placent.

CONTROVERSIA V.

Virum Status Gratiæ in operante sit conditio necessaria ad merendum de condigno vitam æternam.

463. **E**RROR Michaëlis Baij fuit, quòd ad merendum de condigno vitam æternam, sufficiat obedire legi divinæ, etiam si sic obediens non existat in Gratia, quando ponit actum observantiæ legis. Ita habet prop. 16. Contra quem

Dicendum est 1. Homo existens in peccato mortali, sive originali, sive personali, non meretur de condigno vitam æternam vilo opere bono elicitò in statu peccati. Conclusio videtur omnino definita in Trident. sess. 6. c. 16. cuius Titulus est: De fructu Iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione. vbi sic loquitur. Hac igitur ratione iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: abundate in omni opere bono &c. paulò pòst: Atque ideo bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam Gratia filijs Dei per Christum JESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Et iterum paulò pòst. Cum enim ille ipse Christus JESUS, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem infusa, quæ virtus bona ipsorum opera semper antecedit & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis operibus, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censentur.

Neque refert, quòd Tridentinum non excludat disertis verbis à ratione meriti, opera facta extra statum Gratiæ, nam hoc satis colligitur ex eo, quòd requirat unionem operantis cum Christo tanquam vitis cum palmitre.

Fundatur autem hæc Concilij definitio in S. Scriptura, ad Rom. 8. Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, si autem filij, & heredes &c. si tamen compatimur, vt & congloriamur. quibus verbis docet, adultum non posse consequi hereditatem, nisi accedentibus meritis, & quidem in gratia factis, quia factis à filio Dei.

864. Probatur deinde ratione. Si opera hominis peccatoris mererentur de condigno vitam æternam, sequeretur, quòd homo simul posset esse peccator, & simul habere jus absolutum ad vitam æternam: Consequens ex terminis repugnat: peccator enim est dignus privati vitæ æternæ: ergo non potest simul esse dignus vitæ æternæ.

865. Dicendum est 2. Neque homo non peccator, si eliceret actum supernaturalem honestum, dum careret gratiâ (quod quidem desiderium nunquam fit, non repugnat tamen fieri, vt patet ex dictis de condonatione extrinseca) mereretur de condigno vitam æternam. Ratio est, quia non requiritur Gratia sanctificans ad meritum de condigno præcisè propter repugnantiam cum peccato, sed propter suam præstantiam, & quia est forma constituens Hæredem Dei, & Cohæredem Christi.

866. Ratio ulterior est, nam licet actus supernaturalis sine gratia elicitus, esset adus potens secundum substantiam suam procedere à filio Dei, non tamen tunc esset actus filij Dei: acquirere vitam æternam excedit meritum cuiuscunque personæ, excepto Filio Dei: ergo nulla persona que non sit Filius Dei, potest mereri de condigno vitam æternam.

CONTROVERSIA VI.

Virum de ratione Meriti sit Voluntaria abdicatio alicujus Boni Temporalis.

867. **Q**uestionem hanc ab alijs prætermisam, accuratè pertractat, nec minus solida, vt mihi videtur, resolvit P. Martinus Esparza lib. 3. q. 31. cum quo convenio in puncto principali, non item in Corollario. Itaque

DICO, ad Meritum stricte, magisque propriè sumptum, requiri hujusmodi abdicacionem, seu contemptum alicujus boni temporalis per actum illum honestum qui dicitur meritorius, quo Bono Temporalis quis frueretur, si actum meritorium intermitteret. Dixi, Meritum stricte, magisque